



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

176. Fer. 2. de Omnipotentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 2. post Dom. SS. Trinit. 311

feram voluntatem meam in habitationem,
& corpus in Templum, præsertim in Com-
munionem. O amœnitas omnium colorum,
dulcor omnium saporum, fragrantia omnium
odorum, delectatio omnium sonorum, sua-
vis amœnitas amplexuum intimorum, super-
effluens abyssus divinitatis: Te omni crea-
turæ præeligo, propter Te omni delectatio-
ni abrenuntio; pro Te omni adversitati ob-
vio: in his omnibus Te unicum laudatorem
requiro: Tu animæ meæ vita: Tecum fit
affectio cordis mei, vi ardoris amatorij
conflata. Utinam in omni, ad quod sine Te
tendit anima mea reddatur inanimata! ita
D. Gertr. lib. 3. cap. 66.

MEDITATIO CLXXVI.

Feria 2. post Domin. SS. Trinit.

De Omnipotentia Dei.

Intuebor brachium Omnipotentia divi-
nae, cui omnia pari modo sunt possibilia.
Petam illo semper protegi.

Conf. 1. Quomodo Deus plus quam se-
ptuagies nominetur Omnipotens in sacris
Biblijs. Colligitur Omnipotentia DEI ex
toto hoc, quod fecit, & quidem verbo: quia
1. ex nihilo fecit tam multa, varia, solida,
perfecta, virtutis plena, subito 2. Caelos
pulchros, mobiles, incorruptibiles, Sole, Lu-
na, Stell.

na, Stellis ornatos, influentes in inferiora.
 3. Coelum empyrium Regiam suam, sedem
 Beatorum, quietam, Angelis inestimabiliter
 perfectis plenam, numero incomprehensibi-
 libus. 4. Elementa facta, & congruenter
 disposita, ut se servarent, & in eis tot mixta;
 totque animalia tam varia. 5. Hominem ad
 imaginem & similitudinem suam gratia &
 iustitia originali vestivit, ad finem superna-
 turalem ordinavit, & lapsum mirabiliter
 erexit.

Conf. 2. Quomodo ab hoc attributo Dei
 pendeant præcipui articuli Fidei, Creatio-
 nis, Incarnationis, Resurrectionis, Eychari-
 sticæ, Visionis Dei.

Conf. 3. Et laudabo Dominum propter
 infinitam potentiam: fatebor omnes crea-
 turas debere Deo laudē: quia ab eo habent,
 quod sunt, & in se ejus aliquam imaginem,
 vel vestigium continent. Fatebor nec me,
 nec universam creaturam ad ejus laudem
 sufficere: gratias agam, quod laudem meam
 non rejiciat: invitando me, & omnia mea ad
 laudem Dei: *Benedic anima mea Dominum*
 &c. explicando singula: invitabo Angelos
 & Sanctos generaliter, & aliquos specialiter
 invitabo similiter creaturas cœlestes, & ter-
 restres: *Benedicite omnia opera,* &c. Petam
 subtrahi mihi potentiam ad omnem actum
 repugnans.

Feria 3 post Domin. SS. Trinit. 313

repugnantem gustui Dei, darique potentiam ad omnem nutum Dei explendum.

MEDITATIO. CLXXVII.

Feria 3. post Dominic. S S. Trinit.

*De Sapientia, & Gubernatione
DEI.*

Intuebor oculum Sapientiae divinae plus, quam Solem fulgentem. Petam semper aspici ab hoc oculo.

Conf. 1. Quomodo perfecta omnium cognitio in Deo proveniat ex infinita vi oculi divini, sicut enim oculus humanus in momento penetrat ad stellatum caelum, plus quam 70. millionibus miliarium distitum, sic, infinities amplius oculus & mens DEI videt divinam Essentiam, & Personas, possibilita, eorumque opera possibilita, conditionate futura, & futura absolute omnia.

Conf. 2. Quomodo in Deo sit Sapientia omnium rerum: quia scit substantias, proprietates, virtutes, operationes, causas, & effectus omnes. 2. Quam singulari providentia omnia ordinet in finem gloriae suae, & ostensionis Majestatis suae, & nunquam sinat ab ordine dispositionis suae exire. 3. Quomodo singulis rebus media convenientia det, quibus fines suos assequantur, suaviterque ac fortiter omnia attingens, omnium
O curam